Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

habere studerent. Iustinus vero Iustiniano sororis suae filio imperii successore destinato VIIII im-
perii sui anno finem vitae FECIT. IIII.
Anno ab incarnatione Domini DXXVII Iustinianus LXVII ab Augusto imperium accepit, regnantibus
adhuc in Francia Clodovei filiis. Hic tam strennuissimus quam christianissimus impe-
rium quasi mortuum resuscitavit, rem publicam labefactatam plurimum reparavit, ac inter ceteras
gestorum fortium virtutes per Belisarium patricium de Persis, qui Romanos fines inva-
serant, magnifice triumphavit. Leges ante ipsum editas diffuse et inordinate
compactas compendiavit et ad ordinem revocatas in unum volumen compi-
lavit, quae hactenus ex nomine ipsius Iustinianae vocantur. Multis quoque pro latitu-
dine imperii decoris basilicis ecclesiam Dei adornans, inter alias omnium materia
et opere praestantissimam in urbe regia in honore divinae sapientiae, quam Greci Sop-
hiam vocant, construxit. Herulorum regem Gretem nomine ad se Constantinopo-
lim venientem in epyphania Domini baptizari fecit. Tunc etiam rex Hunorum Garda et
mulier quaedam vidua ex Hunnis cum C milibus gentis suae fidem et baptismi gratiam
accepisse feruntur. Porro Athalaricus adolescentiam suam et matris viduitatem
iuxta patris monitum augusto commendans, in tuitionem aptissimo principe sus-
cipitur. Ipso vero non multo post a suis occiso, mater eius Theodatum in regnum ascivit, qui, ne
dicam ingrati, infideli militis officium gerens, eam in balnea strangulavit. Igitur Be-
lisarium patricium Iustinianus in Affricam destinavit, Wandalisque deletis pro-
vinciam a barbaris liberatam Romano imperio restituit. Post cum eundem contra Theoda-
tum tamquam traditorem regnique invasorem mitteret, fractus animo tyrannus Agapitum
papam ad eum pro petenda pace direxit. Qui dum Euticetis errore deceptum ad catho-
licam fidem revocasset principem, Acanthimum regiae urbis episcopum eandem heresim de-
fendentem excommunicasset, ipse ibi defunctus migravit ad Dominum. Hic pontifex
+ erat. tantae sanctitatis + quod in porta urbis regiae imperato ante imperatorem ingressu cecum illumina-
vit. Inter haec Belisarius Theodatum perfidiae suae penas solvere compellens interfecit.
Wingis post mortem patris Theodati suadentem captivum Constantinopolim misit, reg-
noque Gothorum, quod per duo milia vel amplius annorum stetisse Iordanus commemorat,
finivit. Et sic tam ex Affrica Wandalis quam ex Italia Gothis exstirpatis utrasque
in pristinum statum reduxit provincias. Huc usque Iordanus episcopus natione Gothus, ut
ipse met testatur, ~~gothorum~~ Gothorum hystoriam nec non et chronica sua perduxit. Be-
lisarius adhuc cum Theodeberto Francorum rege Lotharii fratre, qui cum CC milibus Italiam
invaserat, pugnam commisit regnantibusque Francis pacem concessit ac Ytaliae